



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

57 Alienationes bonorum ecclesiasticorum sine consensu Papae sunt
nullae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

ea, inconsulto Romano Pontifice, alienandi, ut in eadem extravag. ibi, alienanti verò.

§7 Quòdque omnes alienationes bonorum ecclesiasticorum sine Pontificis auctoritate sint nullæ, respondendo ad contraria, tenet Navarr. de alien. rerum Eccles. num. 14, versic. 2. & in casu nostro, tom. 1. quæ, juramenti in contractibus appositis, convalidati non possunt, quia contractus hujusmodi non dependet à voluntate contrahentium, sed Patris, qui est dominus omnium beneficiorum, cap. 2, de praben. in 6. Gomez. in proem. reg. cancell. cum supra alleg. in cap. 12, num. 8. Nam juramenta contra Constitutiones Apostolicas facta, sunt illicita, & non servanda, cap. Significavit, & cap. gravis, de cens. Et prædicta conclusio adeò est vera, & dicta extravag. usu recepta, etiam quampluribus decretis à visitatoribus Apostolicis, Conciliis Provincialibus, & synodalibus intimata, & ad omnium notitiam deducta, ut omnes alienationes, perpetuæ permutationes ad tertiam generationem, & ad quodcumque tempus ultra triennium locationes auctoritate Apostolica per litteras, si in evidentem, in Romana curia expendantur, & Ordinariis locorum, ac alteri dignitatem in cathedrali ecclesia habenti insolita, & satis notoria forma committantur, & procedit etiam in bonis à Regularibus, Confraternitatibus, & locis piis quibuscumque alienandis, ut in eadem extravag. & tenet Navarr. ubi supra, num. 15, & num. 19, vers. Sed contrarium, cum comprehendat alienantes bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piotum quorumlibet, quæ ÷ dictio, quorumlibet, ut generalis, omnia bona comprehendit, & nihil intactum relinquit, l. 1, §. generaliter, ff. de leg. præst. l. de pretio, ff. de public. in rem act. & Aymon. consil. 133, num. 5, & 6, volum. 1. Alienationes verò, permutationes, locationes, ultra triennium, ac in emphyteusim concessionem de prædictis bonis sine Pontificis beneplacito, & consensu, sunt ipso jure nullæ, ut in eadem constitutione, ibi, nullius sint roboris, vel momenti. Navarr. eodem tit. num. 13. Et Pontificis consensus non præsumitur, ut post Alexand. cons. 9, colum. fin. volum. 2, & cons. 17, colum. 2, vers. nec potest dici, volum. 4. probat Maschard, de probat. concl. 1322, numer. 30.

Præterea bona ÷ ecclesiastica immobilia, & pretiosa mobilia alienans sine Pontificis consensu.

Primò, si est Episcopus, vel Abbas, poenam interdicti ab Ecclesia incurrit, & si per sex menses animo perseveraverit indurato, à regimine suæ Ecclesiæ eo ipso est suspensus, ut in d. extravag. & cap. quicumque, cap. omnes Ecclesia 17, quest. 4. & Rebuff. in compend. alien. rer. Eccles. num. 109, & 110.

Secundò Episcopis, & Abbatibus, in provisionibus suarum Ecclesiarum expeditur particularis Bulla, cujus vigore priusquam assequantur possessionem de non alienando bona suarum Ecclesiarum, & de malè alienatis pro posse recuperandis, juramentum præstare tenentur.

÷ Et bona contra dicta extravag. formam alienantes, poenam perjurii incurunt, ut ibidem Rebuff. num. 13. omnesque bene-